

statione; fluviorum etiam Szavi et Collapis commeatui fluviali adaperitorum repurgatione nondum liberatus, revera ita fatiscit, ut nisi Regia et Clementi Majestatis Vestrae Sacratissimae provisione Regioni huic ea ratione Benigne manus porrecta fuerit, ut per Regni productorum, vel maxime vini, quod forte solum et unicum corpori et necessitatibus suis subditus subtrahere, et in fundum contributionis convertere posset, e Regno educationem, respective cum vicino Carlostadiensi Generalatu, et vicinis haereditarijs provincijs stabilem, securam, eamque a gravibus negotiationis et commercij progressum in fundamento subvertentibus vectigalibus liberam communicationem, manufacturarum introductionem, et fodinarum, vel maxime ferri, quo ipse subditus ad exercendam agriculturam necessario uti, et jam duplicato pretio comparare debet, prospiciatur, contribuentique modus et occasio praebeatur, quo is et paratas pecunias lucrari et industriam suam fructuose augere valeat: Subditus hic non ut naturali Domino et Terrae Principi amplius quid contribuere posset quin potius, ne priorem quidem contributionem, cujus magna pars in restantijs inexoluta haeret, et nec per Executiones continuas incassari valet, ultronee dependere poterit.

Sunt et complura alia, Clementissima Domina! quae miseri Regni hujus et ipsius contribuentis subditi vires seu exhauriunt, seu diminuunt, quae Benignam Maternam et Regiam Majestatis Vestrae Sacratissimae et provisionem et sublevationem merito exposcunt, nempe:

Attenuatis contribuentis viribus proxime accederet adminiculum adhuc magis attenuans easdem vires; graves illae, quae partim in Varasdinensi Generalatu, in Sancto Georgio et Ivanichyensi Praesidio titulo telonialis, in trajectu vero Dernye nauli vectigalis, partim Carlostadij, a victualibus, et Regni productis, vel maxime vero vino exactiones fiunt, et respectu quarum non tantum contribuentis subditi vires enervantium, verum etiam juribus, praerogativis et imunitatibus nostris plurimum praejudicantium, coram Augusto Majestatis Vestrae Sacratissimae Trono, ac dein coram Regia locali Commissione quaesti sumus. Et licet cum praesentia et sub decursu ejusdem Regiae Commissionis tantisper ab exactionibus illis et in specie a vini Mensurae Poseniensis uno cubulo in x^{ta} 30 constituta, ac in ponte exigui solita Taxa, Benigna Majestatis Vestrae Sacratissimae per localem Commissionem publicata decisione sublevati fuerimus, recedente Regia locali Commissione praestatio haec subdito onerosissima, mutata quidem exactionis specie et loco, denuo reassumpta est, et sine remissione in locis, ubi ad educilla deponentur, ita exigitur, ut vendenti cum inevitabili defalcatione per eumentem vel educilantem imputetur. Profecto cum in Regno hoc major et sensibilibior aliquis comeatus, adeoque nec loca consumptionum nominatiora essent, de Clementia et Regia Majestatis Vestrae Sacratissimae Materna provisione sperare licuisset nobis, quod jam hactenus Carlostadium, naturaliter ad rippam Collapis situm, et si non amplo cuidam comercio, negotiationi profecto et comeatui majori expositum, Majestas Vestra Sacratissima in statum liberi et privilegiati Emporialis loci communi negotiantium libero depositorio, et tali, qualem Provincia haec admittit comeatui, citra tamen eorum et tantorum, quae nunc ibi fiunt vectigalium exactionem, deserviturum Benigne elevare dignata fuisset. Interim, ut praemisimus, cum sensibili animorum nostrorum dolore experimur, quod loco eodem, qui unicus est in Regno hocce majori comeatui et negotiationi tam vicinorum et extraneorum, quam domestici militaris et provincialis populi idoneus,